



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1248. Usque Ad Annum 1276

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1765

VD18 90118243

§.39. Josephus Patriarcha Constantinopolim relinquit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66255)

stere, dummodo sine fraude id fiat. Ad-
 vocati & procuratores juramentum di-
 cent, se non nisi causas æquas defen-
 sos esse, ac singulis illud armis repetent.
 Advocatorum præmium quacunque in
 causa viginti libras Turonicas, & procu-
 ratorum merces libras duodecim non
 excedet. Episcopi, qui alienæ diœcesis
 Clericos consecraverint, per anni spa-
 tium a conferendis Ordinibus abstin-
 ebunt. Monitio Canonica debet admoni-
 ti nomen exprimere. Absolutio cautio-
 nis non habet locum in interdictis loca-
 libus. Quædam e constitutionibus tunc
 promulgatis usque ad nos haud pervenit.
 Postquam lectæ fuerant, Papa Concilium
 alloquens permittebat, ut Præsules se-
 xies mille passus Lugduno discederent.
 Futuræ sessioni diem non præfixit ob
 dubium Græcorum adventum. Sic fini-
 ta est tertia sessio.

§. XXXIX.

*Josephus Patriarcha Constantinopo-
 lim relinquit.*

Videamus modo, quid rerum Constanti-
 nopoli actum sit ex eo tempore, quo
 Imperator Michael Papæ Nuncios remi-
 sit. Delegit Legatos ad Lugdunense
 Concilium, qui erant Germanus vetus
 Patriarcha Constantinopolitanus, Theo-
 ph-

Sæcul. XIII.
 A.C. 1274.

*Properan-
 dum.*

*Eos, qui
 Cler. Consti-
 tutionem.
 Præsenti ge-
 ner. Exigit
 mult.*

*Sup. §. I.
 Pachym. l. 5.
 c. 57.*

Rr 4

pha-

Sæcul. XIII. phanes Metropolita Nicænus; inter Se-
 A. C. 1274. natores Georgius Acropolita, magnus
 Logotheta, qui antecedentium Imperatorum historiam scripsit, Panaretus Præfectus vestiarii, & magnus interpretis cognomine Bereas. Conscenderunt triremes duas, duo Præsules alteram, alteram Imperatoris Legati præter grandem Logothetam: ferebantque multa secum munera pro templo S. Petri, ornamenta, imagines in textis aureis, compositiones pretiosæ odorum materiæ; insuper tæpitem coloris rosei filis aureis illusum, & margaritis confitum, qui ad aram sanctæ Sophiæ principem destinatus fuerat.

Cum averti essent, Imperator, quia de gradu dejicere Patriarcham Josephum, a quo Ecclesiæ redditus esset, in animum inducere nequibat, pactionem cum eo fecit, ut relicto palatio suo in monasterio Peribleptanum se reciperet, privilegia servaret sua, & porro nominaretur in precibus. Si negotium cum Latinis quacunque de causa non procederet, in palatium rediret suum, nec Episcopos ob præterita odisset. Si vero res bene verteret locum successori daret, quia non crederet se reverti posse, quippe qui jurasset, se in reconciliationem nunquam consensurum esse. Secundum hæc pacta Josephus in coenobium Peribleptanum se

se contulit 11. Jan. indictione secunda, Sæcul. XIII.
 anno Græcorum 1782, anno 1274. A.C. 1274.

§. XL.

*Palæologi sollicitudo in reconciliandis
 Ecclesiis.*

Cum interea Veccus Patrum locos sæpius pro se attulisset, nec tamen suam ad sententiam traduxisset Episcopos, Imperator haud parum metuens, ut in reconciliationem consentirent, accusabat eos, quod detrectantes obedientiam ipsum diris devoverent ob violentiam illatam iis, qui cessissent, & quibus hoc exprobrassent. Experturus tamen, iterum, an non eos per lenitatem sibi posset adjungere, convocatos circa se considerare iussit, Pacem, inquit, quaero, ut crudelia devitem bella, & Romanorum sanguini parcam; non ut quidquam mutem in Ecclesia. Jam vero nostra cum Latinis consensio tribus continetur rebus, primatu, appellationibus, & Papæ nominatione in precibus: quæ singula rite perpenſa in nihilum abeunt. Quando enim Papa huc veniet primam capturus sedem? Quis jura sua persequendi gratia transmittet mare, iterque tam longum faciet? Quid denique absurdi est in templo primario, dum Patriarcha rem divinam peragit, Papæ mentionem

c. 18.

Rr 5

nem